

vehementer fallor) dicere vult, similiter apud nos christianos perpetuam esse collisionem inter potestatem sacram et profanam. Verum animadvertere debuisset, eiusmodi collisionem si quae datur, non ex intrinseca utriusque illius potestatis constitutione, aut harum potestatum segregatione oriri (multi enim dantur, aut dantur principes ecclesiastici et saeculares, qui non ita colliduntur), sed ex errore, ignorantia, praepredicatis opinionibus hominum ex instigatione pseudo-politicorum, vel similibus causis; prout theologi et canonistae orthodoxi passim ostendere solent.

COROLLARIUM. Ex dictis facile colliges, omnes accusationes, quibus deistae (maxime *Thomas Morgan* doctor medicinae in Anglia, in parte III suae moralis philosophiae) nescio quae crimina sanctissimo viro *Samueli* impingunt, nullo negotio diffuari, et a sola horum incredulorum dicacitate, studioque criminandi ortum habere. Ceterum perquam concinne ac verissime hic observat cl. *Bergier*, quod increduli nostrae aetatis argumenta sua, quibus christianam religionem impugnant ex anglicanis deistis tanquam insignes plagiarum describant, anglicani vero deistae echo quaedam sint veterum christianae religionis hostium.

12. QUÆRES XII. *Quomodo Deus praeparare, id est, confirmare in aeternum potuerit regnum Sauli, qui erat ex tribu BENIAMIN, iuxta illud 1. Reg. 13, v. 13: QUODSI NON FECISSES (i. e. si mandata Dei non violasses), IAM PRAEPARASSET DOMINUS REGNUM TUUM SUPER ISRAEL IN SEMPTERNUM; cum tamen iam multis ante saeculis sceptrum Israël promissum fuerit tribui IUDA? Sic enim patriarcha Iacob Gen. 49, v. 10 de Iuda vaticinatus est: NON AUFERE-*

TUR SCEPTRUM DE IUDA, ET DUX DE FEMORE EIUS. R. *Sauli*, eiusque posteris promissum fuit sceptrum *Israëlis* tantum sub *conditione*, seu ex hypothesi, quod Dei mandatis morem gesturus sit, ut patet ex illis ipsis verbis *Samuelis* ad *Saulem* loc. cit.: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi. Quodsi non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.* Tribui *Iuda* vero promissio absoluta facta est, et diu ante fieri potuit; cum diu ante, nempe ab aeterno Deus praeviderit *Saulem* conditionem sibi ponendam non impleturum. Ita *Sanctius* cum aliis.

13. QUÆRES XIII. *Quomodo explicari possint verba illa 1. Reg. 13, v. 1: FILIUS UNIUS ANNI ERAT SAUL, CUM REGNARE COEPISSET; DUOBUS AUTEM ANNIS REGNAVIT, cum tamen utrumque falsum sit, et quod Saul unius dumtaxat anni filius fuerit, quando regnare coepit, et quod duobus tantum annis regnarit? R. Utrumque in sensu s. Scripturae rite intellecto verum est. Duplex autem celebrior, magisque commendata huius sacri textus expositio est. Primam affert *Hieronymus, Abulensis, Caietanus*, pluresque alii, dicentes, sensum allati textus esse hunc: « *Saul*, sicut parvulus infans unius anni, innocens et sine culpa fuit, cum ad solium regni eveheretur: et in eadem innocentia regnavit super Israël. » Favet huic expositioni *Targum Jonathan*, seu paraphrasis chaldaica, quae ita habet: *Sicut filius anni, in quo non sunt culpae, Saul (erat) quando regnavit, et duobus annis regnavit super Israël.* Altera, et hebraico textui conformior videtur expositio *Cornelii a Lap.*, et aliorum contentium, haec verba: *Filius unius**

anni erat Saul, cum regnare coepisset. Duobus autem annis regnavit super Israël. Et elegit sibi Saul tria millia etc., esse velut superioris capitis undecimi (caput duodecimum non nisi allocutionem *Samuelis* ad populum hebraeum continet) conclusionem, ac veluti prooemium, vel si mavis, epocham eorum, quae consequuntur, ita ut sensus sit: « *Saul*, parta victoria de *Naas*, rursus in regem a *Samuele* unctus cap. 11, v. ult. agebat primum sui regni annum, ac inchoabat secundum, quo exacto, elegit tria millia militum praesidiariorum. » Hic sensus, ut dixi, conformior est textui hebraico, qui ad verbum sic habet:

בן שנה שאול במלכו *Filius anni Saul, in regnando ipsum, quasi dicat: « Jam regnabat Saul unum annum: iam agebat primum regni sui annum, cum haec gesta sunt, videlicet cum victoriam de Naas retulit, ideoque comparata sibi auctoritate et gratia populi, rursus in regem a Samuele unctus est. »*

COROLLARIUM I. Verba haec: *Filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset*, est hebraismus; nam *Filius anni* iuxta hebraeos illum significet, qui natus est, vel qui inchoavit ex anno, de quo sermo est (1). Porro initium regni, seu ea dies, qua aliquis ad solium pervenit, in principibus habebatur velut dies nativitatis eorum; ab hoc tempore eorum anni recensebantur (2). In hoc sensu etiam *Saul* appellatur *filius anni*, h. e. eo anno factus rex.

COROLL. II. Verba illa obiecti textus, *duobus autem annis regnavit,*

(1) Vide *Calmeti* et *Cornelii a Lap.*, commentar. in 1. Reg. c. 13, v. 1.

(2) Vide *Calmeti* commentar. loc. cit.; item eiusdem commentar. in *Matth.* c. 14, v. 6.

non sic accipienda sunt, quod *Saul* duobus tantum annis universim regnaverit, sed quod biennio regnaverit tunc, quando tria millia de *Israël* elegit, qui sibi a praetorio essent, ut ex contextu planum est. Sic enim habet vulgata nostra: *Duobus annis regnavit super Israël. Et elegit sibi Saul tria millia de Israël.* Et adhuc clarius textus syriacus ita sonans: *Cum autem anno uno vel duobus regnasset Saul in regno suo super Israël, elegit sibi Saul tria millia virorum ex Israël.* Et textus arabicus dicens: *Cum autem regnasset Saul uno, duobus, vel tribus annis e regno suo super filios Israel, delegit Sauli ex israelitis tria millia virorum etc.* Igitur nulla est necessitas, verba illa sacri textus: *duobus autem annis regnavit*, intelligendi de annis regni *Saul* universim sumptis; quamvis non desint graves auctores, qui acriter contendunt, *Saulem* biennio solo regnasse, et solo biennio contingere commode potuisse, quaecumque de rege *Saule* toto primo libro *Regum* recensentur. Ita censent hebraei in *Seder-Olam*, *Gaspar Sanctius*, *Tirinus*, *Arias Montanus*, *Gerardus Mercator*, *Adrichomius*, et quidam alii. Argumenta, quae in oppositum afferuntur, vide soluta apud *Sanctium* (3), et in chronico sacro *Tirini* (4).

14. QUÆRES XIV. *Quomodo intelligenda verba illa (1. Reg. 16, v. ult.): Igitur quancumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et refocillabatur Saul et lenius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus. Quis est iste spiritus Domini malus? 2. Si fuit spiritus Domini, quomodo*

(3) Commentar. in 1. Reg. c. 13, v. 1.

(4) Cap. 26 et 27.

simul potuit esse MALUS? 3. Qualis est proportio, habitudo aut vis musices, seu pulsus citharae ad fugandum spiritum?

Ŕ. AD PRIMUM. Quamvis aliqui hunc spiritum nequam, qui insiliit in regem Saul, et tam atrociter eum exagitavit, putent nihil aliud fuisse, quam morbum melancholiae, atraeque bilis, aut omnino maniae; alii vero cōtendant, fuisse spiritum seu angelum bonum qui missus sit a Deo, ut excruciret Saulem, et poenas ab eo sumeret violati praecepti: tamen communis est patrum, doctorumque sententia, energumenum fuisse Saulem, id est, obsessum, et intus exagitatum a daemone, seu spiritu malo. Ita Gregorius (1), Theodoretus (2), Rupertus (3), Lyranus, Abulensis, Serarius, Sanctius, Cornelius a Lap., aliique interpretes passim. Ac profecto invitata trahitur et omnino contorta s. Scripturae litera in aliam sententiam.

Ŕ. AD SECUNDUM. Dicitur loc. cit. daemon Spiritus Domini, cum tamen sit malus, quia eius ministerio usus est Dominus ad affligendum Saulem. Cum enim daemones vel inviti pareant Domini voluntati, licet mali sint; spiritus tamen Domini esse dicuntur, quia servilem ei operam navant. Quare hanc in rem optime Gregorius (4) inquit: Diabolus, licet afflictionem iustorum semper appetat; tamen si a Deo potestatem non accipit, ad tentationis articulum non convalescit, unde omnis voluntas eius iniusta. Ex se enim tentare appetit: sed eos, qui tentandi sunt, et prout tentandi sunt, Deus iuste tentari permittit. Ideo idem SPIRITUS et DOMINI appel-

(1) L. 2 moral. c. 6.

(2) Quaest. 58.

(3) L. 2 in cap. I. Reg.

(4) Loc. cit. (5) L. de musica.

(6) L. 5 de ira, c. 9.

latur, et MALUS; Domini per licentiam iustae potestatis; malus per desiderium iniustae potestatis. Haec enim potestas ex parte Dei punientis Saulem per diabolum, erat iusta; ex parte vero diaboli tyrannice Saulem excruciantis, erat iniusta. Diabolus autem in Saulem nil poterat, nisi potestate a Deo accepta, qui illam limitarat, ut tantum et non amplius eum affligere posset; uti fecit in s. Iob.

Ŕ. AD TERTIUM. Vim ad sedandas componendasque passiones tum animi, tum corporis, magnam esse in musica, sicut est in lituis et tubis ad easdem in praelio excitandas inflammandasque, plurimis rationibus et exemplis docent Plutarchus (5), Seneca (6), Basiliius (7), Vallesius (8), Delrio (9), aliique. Igitur etiam valebat ad compescendam agitationem daemnis, qui passionibus istis et humorum commotionibus sese ingerit, iisdemque utitur ad animum occupandum, vel magis exagitantum. Ceterum illa Saulis refocillatio non a sola musica seu pulsu cytharae proficisci potuit, cum spiritus malus dicatur etiam recessisse a Saule (10), seu fugatus fuisse per Davidem, quod nullis sonis quantumcumque numero modulatis convenire potest. Censeo itaque cum Tirino (11), id potius adscribendum sacris psalmodum et hymnorum verbis, quin et piis precibus et votis, quibus David pro regis incolumitate Deum interpellabat, paene eo modo quo nunc ecclesia per preces et sacra verba, per adiurationes et exorcismos expellit cacodaemonas ex energumenis. Ita fere Theod. aliique.

(7) De libris gentilium.

(8) Philos. sacrae, c. 28.

(9) L. 5 Disquis. magic.

(10) I. Reg. c. 16, v. ult.

(11) Comment. in I. Reg. c. 16, v. 25.

15. QUÆRES XV. Quomodo explicari possit illud 1. Reg. 18, v. 10: INVASIT SPIRITUS DEI MALUS SAUL, ET PROFHETABAT IN MEDIO DOMUS SUAE; cum tamen prophetare sit boni, et non mali spiritus? Ŕ. Quamvis prophetare iuxta communem significationem idem sit, ac futura praedicere, in s. Scriptura tamen etiam in variis aliis sensibus (1) haec vox adhibetur: et hoc quidem loco neutiquam significat futura ex afflatu divino praedicere, sed insanire, id est, agitatione corporis ab obsidente daemone impulsus et more fanatico fundendo verba aliena ac absurda, prophetarum motus inepte imitari. Unde textus chaldaeus ita habet: mansit spiritus malus — super Saul, et insanivit intra domum. Similiter 3. Reg. 18, v. 29 ubi nostra vulgata de sacrificulis Baal ait: Postquam autem transiit meridies, et illis (sacrificulis) prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, textus chaldaeus habet: Et fuit cum transiret meridies, et insanirent, usquequo offerri solet munus (2).

16. QUÆRES XVI. Quomodo explicetur illud 1. Reg. 15, v. 35: NON VIDIT SAMUEL ULTRA SAUL USQUE IN DIEM MORTIS SUAE; Cum tamen postea 1. Reg. 19, v. 24 Saul

(1) Haec vox prophetare, praeter communem notionem, quae est futura praedicere, aliquando in s. Scriptura significat Deum laudare. Sic I. Reg. c. 10, v. 5. Samuel Sauli dicit: Obvium habebis gregem prophetarum — et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam et cytharam ipsosque prophetantes, h. e. psalmos et hymnos in honorem Dei canentes. 2. Alibi significat Scripturas interpretari. Sic I. Cor. c. 14, v. 5, legimus: Qui prophetat (h. e. qui Scripturas explanat) hominibus loquitur ad aedificationem. 3. Iterum alibi significat prophetiam confirmare. Sic Ecclesiastici c. 49, v. 18, de Ioseph aegypto dicitur: Et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt, h. e. pro-

CORAM SAMUELE TOTA DIE PROFHETARIT? Ŕ. Nullam hic esse antilogiam seu contradictionem. Nam post illud bellum adversus amalecitas non vidit Samuel ultra Saul, id est, non amplius eum invisit honoris, officii vel amicitiae gratia, quomodo prius eum invisere solebat, ut illum scilicet in administratione regni dirigeret, admoneret, reprehenderet. Sciebat enim eum esse reprobatum a Domino, neque ab illo amplius quidquam sperabat sanum, aut ex usu reipublicae; quamvis perrexit eum intrinsecus amplecti charitate, qua proximum suum prosequi tenebatur, et miserando ipsius lapsui omnibus diebus vitae suae sit illacrymatus. Paucis: Samuel et Saul non amplius occurrerunt sibi veluti amici, et mutua familiaritate utentes. Verum hoc insuper habito contigit, ut Samuel videret Saulem cum ceteris prophetantem; ferme sicut spectamus oculis imaginem, arborem, feram, aut aliud obiectum quod casu saepe contingit. Ita Sanctius, Calmet, aliique interpretes passim. Imo teste Sanctio (3) sunt, qui dicunt, visum quidem tunc a Samuele Saulem prophetantem, non autem a Saule Samuelem, additque idem auctor haec verba: Quod mihi verisimile est, cum

phetiam ab ipso editam confirmarunt. Cum enim iuxta ipsius praedictionem ossa eiusdem ex Aegypto elata sint, ipsa ossa translata declaraverunt, illum verum fuisse prophetam. 4. Alibi vero vox prophetare significat miraculum edere. Sic de Elisaeo Ecclesiastici c. 48, v. 14, dicitur: Et mortuum prophetavit corpus eius, h. e. miraculum edidit mortuum suscitando, qui in eius sepulchrum proiectus erat. 5. Denique interdum significat insanire, ut in responsione ad propositam quaest. 15, ostendimus.

(2) Vide Biblia polyglotta card. Ximenii in hunc s. Scripturae locum.

(3) Commentar. in I. Reg. c. 19, v. 24,

alienatus a mente fuerit Saul, quo tempore fuit in coetu prophetarum.

17. QUÆRES XVII. Quorsum (1) Reg. 24, v. 4) narretur quod SAUL INGRESUS FUERIT SPELUNCAM, UT PURGARET VENTREM? An non hoc, et plura alia similia in Scriptura sunt inutiliter dicta, imo eloquio Dei indigna et indecentia? Hanc, vel similes quaestiones et dubia movere solent quidam rudes mechanici, ut loquitur d. Chrysostomus (1), et dissoluti coelisque indigni, qui multa in sacris literis superflua contineri, dicere audent. Ita quoque ante 13 annos scriptor ille anonymus, qui se regis Borussiae officialem bellicum dixit, aut finxit, variaque dubia contra divinam s. Scripturae auctoritatem in prolixiori suo scripto ad d. Ioannem Chrystoph. de Zabuesnig (2) dato accumulavit, quaesivit his verbis: « Quid est Scriptura? Nonne est verbum Dei? an Deus ex alio fine ad hominem loquitur, quam ut hunc edoceat? Plane in divinis libris nullum dictum contineri deberet, quod Deo non sit dignum, et ad meam instructionem serviat. Iam vero quid inde disco, quod Aod (Iud. 3, v. 21 et 22) pugionem sinistra manu apprehensum tam fortiter in ventre regis Eglon infixit, ut per secreta na-

(1) Homil. 54 in epist. ad Rom.

(2) Cum d. Ioan. Christoph. de Zabuesnig orbi litterato ob praeclarum suum opus, *Historische und critische Nachrichten von dem Leben und Schriften des Herrn von Voltaire, und anderer Neu-philosophen unserer Zeiten*, notissimus, aliud quoque insigne opus cl. Nonnotte cui titulus, *Dictionnaire philosophique de la religion* ex gallico in idioma germanicum verterit, occasione huius versionis anonymus ille officialis bellicus, de quo paulo ante diximus, ad eundem scripsit, variaque contra s. Scripturam et religionem christianam dubia eidem proposuit, sancte tamen contestans, se non esse ex numero incredulorum; prout in sua ad eundem epistola patet, quae ex germanico in la-

turae alvi stercore proruperint? Talia dicta minime deberent extare in libro, de quo dicitur, quod in eo Deus loquatur. Deus enim nec inutiliter, nec sordide loquitur. » Hucusque scriptor ille anonymus. Verum

¶. Qui talia effutiunt, et s. Scripturam impiis huiusmodi dictis lacessunt, non attendunt, quod eae circumstantiae, quae in sacris literis narrantur, et ipsis inutiliter scriptae videntur, conducant vel ad nostram institutionem, vel ad integritatem sermonis, vel ad simplicitatem, sinceritatemque narrationis, ex qua veritas historiae mire elucet, vel denique ad alium finem a Deo sapientissime intentum, quamvis nobis incognitum. Sic, quod in sacris literis de Eglon rege moabitarum, aut de aliis quaedam vilia narrentur, non obstat maiestati s. Scripturae. Id enim fieri potuit, ut integra historiae series sincere referatur, et ut simul pateat, etiam reges et principes huius mundi humanis miseriis et fragilitatibus, ac subitaneis, minimeque praevisionis mortis casibus aequae ac plebeios subiectos esse. Similiter non otiose, nec sine causa in s. Scriptura narratur, quod Saul speluncam ingressus sit ad purgan-

tinum translata ita habet:

« Domine mi! Audeo tibi appendicem ad reflexiones super quaedam religionis puncta mittere — Dices fortassis, quod haec appendix libertinismum vehementer redoleat. Verum asseveranter tibi affirmo, me hac lue immunem esse. Sunt solum quaedam dubia, quae nostris evangelicis praeconibus solvenda proposui. Sed animum meum tranquillare non poterunt. Ideo catholicorum hac de re responsa exquirere statui. Fateor, haec dubia non esse insolubilia; attamen non exigui momenti mihi videntur. Permaneo cum magna erga te observantia

» B. 20 augusti 1777.

» Obsquiosissimus servus
» I. W. I. H.

dum ventrem. Clarius enim inde fit Davidis in Saule singularis misericordia et clementia, qui ne in distinctum quidem et exarmatum hostem, quod facile potuisset, irruerat occisurus.

Porro quam parum sol, dum radiis suis cloacas perlustrat, maculatur, aut omnipotentia divina, dum in vilissimas creaturarum actiones physice influit labem contrahit; tam parum sanctitas et maiestas Scripturae defectum patitur, dum eiusmodi res vilissimas narrat, praesertim, quia id nunquam sine sapiente consilio fit, ut paulo ante demonstravimus. Ac profecto, si Deo indignum non est, naturam humanam eiusmodi necessitatibus obnoxiam creare, cur illo indignum aut indecens sit, easdem narrare? Deus purissimus spiritus est, incapax omnis maculae aut sordis. Hinc sive creet, sive physice influat in quascumque creaturarum actiones, sive has narret, cum id semper ex sapientissimo fine faciat, nunquam sordescit, nunquam labem seu physicam seu moralem contrahit.

18. COROLLARIUM I. Sicut non est indignum omnipotentiae divinae maiestate res minimas creare, aut in quascunq; etiam vilissimas creaturarum actiones physice influere; sic non fuit indignum sanctitate et sapientia divina, res eiusmodi minimas aut vilissimas scriptoribus hagiographis, seu sacris qui Scripturae divinae libros primitus conscripsere, scribendas dictare, praesertim, quia saepe magna mysteria sub figura minimarum rerum latent, aut certe res minimae, vel etiam vilissimae nunquam sine ratione ac sapienti consilio in sacris litteris sunt annotatae. Sic praeter exem-

(1) Tob. c. 14, v. 9.

(2) Sic etiam apud Homerum in Odyssea quaedam et his similia de Argo caue

pla Scripturae iam supra de Eglon rege moabitarum, et Saule allata, inutilis quoque non est narratio de cane Tobiae, qui redeunte in domum paternam Tobia iuniore, praecurrit... et quasi nuncius adveniens blandimento suae caudae gaudebat (1). Praeterquam enim, quod haec descriptio ad simplicitatem et sinceritatem historicae narrationis apprime serviat, et audita vel lecta delectet (2), eadem quoque ad morum instructionem utilis est. Audi Bedam citatum locum Scripturae ita exponentem: « Non est contemnenda figura canis huius, quia viator et comes angeli est. Doctores enim exprimit Ecclesiae, qui confligendo cum haereticis, lupos graves a pastoris summi fugant ovili. Et pulcre dixit, QUASI NUNCIUS ADVENIENS: quia nimirum doctor quispiam fidelis nuncius est veritatis: pulcre; BLANDIMENTO SUAE CAUDAE GAUDEBAT. Cauda, quae quasi finis est corporis, finem bonae operationis id est perfectionem, vel certe mercedem, quae sine fine tribuitur, insinuat. » Aliam instructionem moralem d. Ambrosius (3) ex hoc loco Scripturae eruit. Nam iuxta interpretationem huius s. doctoris ecclesiae, canis ideo Tobiae comes adiungitur, ut cum esset gratitudinis symbolum, iuvenem Tobiam ad grates Deo, atque angelo Raphaëli debitas, cumulate referendas, erudiret: vel etiam, ut cum esset vigilantissimus domus custos, iuvenem prima tractandae familiae gubernacula aggressum, suo exemplo ad custodiam domus hortaretur. Adde adhuc unum Scripturae locum, qui primo intuitu videtur, aut saltem incredulis videri posset inutilis ad fidei vel morum instructionem. Est is ex e-

narrantur, quae legentem cum fructu innocuae voluptatis tenent.

(3) L. 6 Hexaemer., cap. 4,

pist. 2 ad Timoth. cap. 4, v. 13 desumptus, ubi dicitur, quod d. Paulus habuerit penulam, quam reliquerit Troade apud Carpum. Quid autem hoc ad nos? quid inde discimus ad fidei vel morum instructionem conducens? Verum etiam ista narratio comprimis servit ad nostram institutionem, maxime si spectetur contextus, qui ita habet: Penulam, quam reliqui Troade, apud Carpum, veniens, affer tecum; et libros, maxime autem membranas. Nam ex eo quod d. Paulus a Timotheo petat, ut illam penulam veniens afferat secum, intelligimus, posse nos laudabiliter et meritorie providere necessitatibus corporis, dummodo id fiat cum debita moderatione, atque ad Dei gloriam referatur. Praeterea paupertatis hic exemplum habemus, quod Paulus totius orbis doctor Timotheo totius Asiae primati nullas alias divitias, quam penulam, credo iam attritam et obsoletam, et paucos libros, et membranulas commendaret. Insuper singulare religionis exemplum ex supra citatis Pauli verbis elucet, quod addit, maxime autem membranas, hoc est, interprete Theodoro, divinas Scripturas, quas in membranis tunc temporis describebant. Quasi Paulus, etsi penulam, libros, membranasque exegerit; facile tamen caeterorum omnium iacturam pateretur; dummodo membranae, seu Scripturae sanctae ad eum incolumes afferrentur. Haec pluraque alia emolumenta, tum ex citatis locis, tum ex aliis, quae improbi homines tanquam inutilia condemnant, facile colliguntur. Nihil igitur in sacra historia otiosum aut inutile reperitur. Verum hac de re etiam infra (1) sermo redibit.

(1) In libris Paralipomenon.

(2) In prooemio super epist. ad Philemonem, ad Paulam et Eustochium. Vide

COROLLARIUM II. Crasse et impie errarunt et errant ii qui putant, res quidem maioris momenti in sacro codice contentas a scriptoribus sacris Deo inspirante et dictante fuisse literis consignatas; non item res omnes minutas, quas sacro codici inseruere; has enim, aiunt, eruditione sua et spiritu duntaxat humano addidisse. Profecto sic semper essemus in dubio, quid in sacro codice sit scriptum Deo inspirante et dictante, et quid non; quid ibi sit verbum Dei scriptum, et quid praecise verbum hominis, nempe illius, qui primitus sacri codicis partem aliquam scripsit: ac proin etiam incerti essemus, quid in Bibliis fide divina credi possit et debeat, et quid non. Ceterum (ut iam in corollario I. observavimus) tam parum Deo indignum fuit, res eiusmodi minimas sacro scriptori scribendas dictare, quam parum Deo indignum fuit, res minimas et opinione nostra vilissimas creare. Unde s. Hieronymus (2) contra eos qui putant, non provenire ab inspiratione Spiritus s. res minutas in sacro codice scriptas, cum tamen scriptoribus hagiographis inspiraverit res maioris momenti ibidem scribendas, ait: « Quodsi non putant esse parva, quorum (scriptorum a Deo inspiratorum) et magna sunt, alterum mihi conditorem iuxta Valentinum, Marcionem, et Apellem formicae, vermium, culicum, locustarum; alterum coeli, terrae, maris et angelorum debet introducere. »

COROLLARIUM III. Verissimum, et in lectione aut meditatione sacrarum Scripturarum semper prae oculis habendum est illud s. Pauli ad Timotheum (3) effatum: « Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis

tom. 6 operum. d. Hieronymi edit. rom 1571.

(3) II. Ad Timoth. c. 5, v. 16 et 17.

est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. » Igitur iuxta testimonium Pauli nulla pars Scripturae, quantumvis parva et exigua, otiosa vel inutilis est. Nam omnis Scriptura, h. e. quaelibet pars Scripturae utilis est. Id ipsum etiam patres tam graeci quam latini de utilitate s. Scripturae loquentes unanimiter docent. Audiamus quosdam ex praecipuis. S. Io. CHRYSOSTOMUS (1) ait: « Doceamus vos, neque dictionem parvam, neque syllabam unam in divinis literis contentam praetereundam. Non enim verba qualiacumque sunt, sed etiam Spiritus s. verba. Et propterea magnum in his thesaurum invenire licet, etiam in una dictione. » Ac iterum (2): « Ne putetis, hoc absque causa fuisse adiectum; nihil enim in divina Scriptura continetur, quod non aliqua ratione dictum sit, et latentem in se habeat utilitatem. » D. BASILIUS (3) inquit: « Sacrae Scripturae verba, si utcumque legantur, aut perfunctorie, syllabae tantum quaedam esse videntur, et eadem perexiguae; sed cum verborum sententiae pervestigantur, tunc quanta sit sapientia Creatoris perspicitur. » Et iterum (4): Ingens blasphemia est dicere, verbum aliquod in Scripturis redundare. » S. HIERONYMUS (5) ait: « Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus. » Similiter loquuntur alii patres, quos apud Mendozam (6) citatos invenies.

19. QUÆRES XVIII. Quomodo pythionissa in Endor, I. Reg. 28, v. 12, Samuelis animam ab inferis resuscitare potuerit? Num defuncto-

(1) Homil. 15 in Genes.

(2) Homil. 25 in Genes.

(3) Homil. 9 in Hexaemer.

(4) Homil. 40 in Hexaemer.

rum animae, et quidem sanctae (qualis fuit illa Samuelis) arte magica in sua quiete turbari possunt? Aut fors non verus Samuel, sed tantum daemon illusor formam Samuelis assumens, tunc Sauli apparuit? Antequam respondeam, observo, quod deistae in hac apparitione Samuelis nugas, meras merissimas nugas se reperisse existiment: atque sive verum, sive personatum dicamus apparuisse Samuelem absurdum putent. Equidem vix ulla quæstio tam diversis opinionibus apud antiquos aequae ac recentiores scriptores ventilata est, ac ista. Alii enim censent animam Samuelis incantatione pythionissae evocatam e limbo. Alii et ipsi dicunt, apparuisse Samuelem, non tamen evocatum a venefica, sed a Deo. Iterum alii dicunt non apparuisse ipsum Samuelem, sed Deum vel per se, vel per angelum respondisse sub forma huius prophetae. Quarta sententia docet, daemonem simulacro quodam spectantium oculos lusisse. Taceo alia hac de re rabbinorum deliria, ac ex tam discrepantibus sententiis secundam tanquam veram amplector. Itaque

Et dico: Samuel ipse apparuit, sed Dei, non diaboli imperio, nec magica arce suscitatus: haec enim est communior pp. et interpretum sententia, nominatim Origenis, Ambrosii, Iosephi Iud., Caietani, Cornelii a Lapide, Abulensis, Estii, et plurimorum aliorum. Ratio est, quia Scriptura de eo, qui hic apparuit, constanter et ubique loquitur, tanquam de vero Samuele. Id patet ex illis verbis (7) Scripturae: « Cum autem vidisset mulier (pythionissa)

(5) L. 2 commentar. in epist. ad Ephes. c. 5, v. 6.

(6) Comment. in L. Reg. annot. 2 prooemial., sect. 4, n. 5 et seqq.

(7) I. Reg. c. 28, v. 12.

Samuelem, exclamavit voce magna. » Item ex illis (1): « Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me ut suscitarer? » Et iterum (2): « Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te et transierit ad aemulum tuum: faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David. Ac potissimum, quia in libro Ecclesiastici (3), postquam alia laudabilia *Samuelis* facta sunt enarrata, additur: « Et post hoc dormivit (Samuel) et notum fecit regi et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis, » quibus verbis significatur, eundem illum *Samuelem* qui dormierat, seu mortuus fuerat, regi *Saul* indicasse quae ventura illi erant, et prophetsse: ergo verus *Samuel Sauli* apparuit.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM

20. OPPONUNT I. Daemon illusor in forma *Samuelis* assumpta ita locutus et mentitus est. ¶ Non daemon sed ipsa Scriptura *Samuelem* apparuisse dicit; ut patet praecipue ex cit. loc. Ecclesiastici.

OPPON. II. Scriptura saepe de specie rerum haud secus loquitur, atque de ipsis rebus; verbi gratia serpentes magorum Aegypti, quantumvis fictitios, nihilominus serpentes

(1) Ibid. v. 15.

(2) Ibid. v. 16 et 17.

(3) Cap. 46, v. 25.

(4) S. Script. contra incredulos propugnatae, V. T., p. 1, sect. 2, cap. 2, quaest. 18.

(5) I. Reg. c. 28, v. 16, 17, 18 et 19. Neque dicas: Quamvis in textu hebraeo citatis locis nomen divinum *Iehovah* ponatur, daemonem tamen sub specie *Samuelis* apparentem non hoc, sed nomen *Adonai* pronuntiasse; ferme sicut iudaei, quoties nomen *Iehovah* in hebraeo textu occurrit, nunquam illud pronuntiant; sed

vocat. Ergo et illud phantasma potuit *Samuelem* vocare. ¶ Inprimis neutiquam certum est, illos magorum aegyptiacorum serpentes fuisse fictitios. Nam iuxta *Theodoretum*, *Augustinum*, et doctorem angelicum ii fuere veri serpentes, ut iam alibi (4) observavimus. Dein transmissio etiam quod dicti serpentes fuerint duntaxat fictitii, inde neutiquam sequitur, quod etiam *Samuel Sauli* apparens non fuerit ipse *Samuel*, sed tantum eiusdem simulacrum. Sunt enim speciales rationes dicendi, quod tunc apparuerit ipse *Samuel*, quia ut numero praecedente vidimus, Scriptura *constanter* et *ubique* de eo, qui apparuit, loquitur tanquam de vero *Samuele*, et non de huius simulacro; imo in libro Ecclesiastici loc. cit. *Samuel* ex eo laudatur, quod etiam *post mortem* (quando nimirum *Sauli* apparuit) *prophetarit et exaltavit vocem suam de terra*: atqui haec laus a Scriptura utique ipsi *Samueli*, et non eiusdem simulacro tribuitur. Praeterea omnia quae *Samuel* apparens *Sauli* praedixit, plane evenerunt. At daemon non praescit futura, si non sint effectus necessarii; ergo non daemon *Samuelis* formam mentitus, sed ipse *Samuel* tunc prophetavit. Ad haec si daemon apparuisset, nomen divinum, sanctum et terribile *Iehovah*, cuius sola pronuntiatione torquetur, non usurpasset toties (5) in illo colloquio.

pro illo *Adonai*, quod unum e Dei nominibus est, et *Dominos meos* plurali numero (sicut *Adoni*, *dominum meum* singulari numero) significat, legunt. Hoc enim insuperhabito vis nostri argumenti manet, cum daemon non solum a nomine *Iehovah*, sed etiam a nomine *Adonai* mirum quantum abhorreat, Deumque nequaquam nomine *Domini sui* honorare velit. Ceterum eruditionis causa illud adhuc observo, quod iudaei, dum loco nominis *Iehovah* nomen *Adonai* pronuntiant id superstitione, sive religione qua-

NEQUE DICAS: Daemon saepe usurpat nomen Dei, imo veneratur: ergo potuit etiam istic usurpare. Nam ¶. usurpat, si sit coactus; quod colligi ex adiunctis debet. Nullum autem vestigium in Scriptura habemus, quod is, qui tunc *Sauli* apparuit, coacte nomen Dei usurparit.

OPPON. III. *Samuel* ille apparens falsa praedixit, nempe *Saulem* cum filiis suis cras occidendum: *Cras autem tu et filii tui mecum eritis* (1), id est, in altero saeculo, in loco statuque mortuorum eritis; quod tamen non nisi interiectis aliquot diebus contingit. Nam inter caput 28, in quo haec apparitio *Samuelis* narratur, et caput 31, ubi philistinorum praelium cum *Saule* commissum, huiusque ac filiorum eius mors refertur, intermedia sunt capita 29 et 30, in quibus quaedam gesta recensentur, quae non nisi interiectis aliquot diebus fieri poterant. Ergo *Samuel* ille apparens non fuit verus *Samuel*, sed mendax daemon. ¶. Nil falsi praedixit *Samuel Sauli* in apparitione sua. Nam vox *cras* non semper in rigoroso atque stricto sensu usurpatur; sed crebro in phrasi hebraica futurum ac indefinitum tempus significat; prout *Calmet* iterato (2) monet. Sic exempli gratia in libro Exodi (3) dicitur: « Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc, respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti. » Idem repetitur in libro Deuteronomii (4). Et in libro Iosue (5) dicitur: « Quando interrogaverint vos filii vestri cras dicentes, quid sibi volunt lapides isti? respondebitis eis: defecerunt

aquae Iordanis ante arcam foederis Domini, cum transilirent eam. » Unde non mirum quod *Usserius* (6) existimet, aliquot dies effluxisse a consultatione pythionissae ad certamen Gelboë, in quo *Saul* cum filiis suis interiit. *Calmet* tamen (7) credibile censet, quod vox *cras* in loco Scripturae, quem explicamus, stricte et ad literam sit intelligenda: nihilque nos cogere, utaliter illam accipiamus. *Saul* enim iter vespere suscepit, ut veniret in Endor, qui locus satis castris illius vicinus erat; consulere pythionissam potuit, domi illius manducare, ac in castra reverti. Philistiim praelium *Sauli* referunt, hic vincitur; fusamque videns aciem suam se suo gladio confodit, occisis etiam ab hoste filiis suis. Haec omnia, inquit laudatus interpres, facile evenire potuerunt postridie diei vel noctis, qua pythionissam consuluit. Neque obstat quod Scriptura inter consultationem pythionissae, et mortem *Saulis* cum filiis suis narrationem gestorum cap. 29 et 30 interponat. Nam quae his duobus capitibus recensentur, ea vel ante, vel simul contigerant, vel anticipato narrantur.

URGENT: *Saul* non poterat dici cum *Samuele* futurus. *Samuel* enim iustus in limbo pp. fuit; *Saul* autem reprobus abiit in gehennam: ergo falsa fuisset illa praedictio: *Cras autem tu et filii tui mecum eritis*, si ponatur haec verba dixisse ipsum *Samuelem*. ¶. Quando *Samuel* dixit *Saulem* cras cum ipso futurum locutus est solum de futura illius morte, ita ut sensus sit: Cras tu et filii tui moriemini, ac mecum eritis

dam faciant. Hic tamen mos veteribus iudaeis in usu non erat: cum nulla lege Dei nomen *Iehovah* proferre vetitum sit. Vide *Calmet* Dictionnar. biblic. verbo: *Adonai*.

(1) I. Reg. c. 28, v. 19.

(2) Comment. in I. Reg. c. 28, v. 19. Et in suo Dictionario biblic. verbo: *Cras*.

(3) Cap. 13, v. 14. (4) Cap. 6, v. 20.

(5) Cap. 4, v. 6 et 7.

(6) Ad annum M. 5949.

(7) Comment. in I. Reg. c. 28, v. 19.

in loco statuque mortuorum. Atque haec praedictio verissima erat, ut paulo ante explicavimus. Itaque *Saul* et filii eius cit. loc. dicuntur cum *Samuele* futuri, nempe in altera vita sub terra, vel in inferno proportionate ad cuiusvis merita; vel in inferno damnatorum, vel in limbo iustorum, qui etiam in Scriptura (1) *infernus* dicitur. Nam ut s. *Augustinus* (2) ait, verba illa *Samuelis* ad *Saulem* dicentis: *MECUM ERIS, non ad aequalitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referuntur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, iamque mortuus mortem vivo praenuntio.*

OPPON. IV. Verus *Samuel* non permisisset se adorari: sed qui apparuit, permisit se adorari a *Saule* iuxta illud (3): *Et intellexit Saul, quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra et adoravit:* neque legitur, quod is, qui apparuit, contra hanc adorationem fuerit protestatus: ergo non fuit verus *Samuel*. \hat{r} . Hanc adorationem permisit et permittere merito potuit *Samuel*, quia ea non nisi caeremonia signumque specialis reverentiae erat, ac probe sciebat, se coli ut *Samuelem*, et ut prophetam, non ut Deum. Mos enim erat apud hebraeos similes adorationes reverentiae tantum causa usurpare erga quasvis personas singulari observantia dignas, ut fecit *Abigail* ante *Davidem* (4), *David* ante *Saulem* (5), et plura id genus, quorum ultimata ratio est, quia *adoratio in genere* est nihil aliud, quam honor externo corporis gestu exhibitus; ac proin-

(1) Cap. 57, v. 53.

(2) Lib. 2 ad *Simplicianum*, q. 3.

(3) I. Reg. c. 28, v. 14.

(4) I. Reg. c. 25, v. 25, ubi ita legitur: *Cum autem vidisset Abigail David, festinavit et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram.*

sicut honor indifferens est ad honorem delatum Deo et hominibus, ita et adoratio alia est Deo, alia hominibus in dignitate constitutis exhibita, quamvis utraque externo corporis gestu fieri possit, et fiat.

URGENT. Nullatenus verisimile est quod Deus, qui noluerat *Sauli* respondere per somnia, per sacerdotes, per prophetas, iuxta illud (6): *Consuluit Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas,* ei denique responderit per *Samuelem*, et quidem tunc, quando rex impius ad daemoneum confugit. \hat{r} . Deus in poenam impietatis respondit in ira sua, et instantem illi eiusque filii supremam diem praedixit.

OPPON. V. Verus *Samuel* non poterat ad *Saulem* dicere (7): *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* quomodo enim ars magica quietem prophetae turbaret? Aut, quis credat, pythonissam ope diabolica virum tam sanctum iam mortuum inquietasse, et ad redeundum ex limbo pp. coegisse? \hat{r} . Non ars magica, non pythonissa ope diabolica *Samuelem* suscitavit, sed hoc contigit Dei iussu, animam *Samuelis* vel per se, vel ministerio bonorum angelorum advocantis, ut prophetae huius oraculo impius rex disceret, quanta in caput suum ex denegata Deo obedientia redundarent mala. Igitur anima *Samuelis* apparuit quidem dum pythonissa exercebat artem magicam, non tamen vi illius artis ad apparentum coacta, sed Dei consilio et potestate e limbo evocata, ita ut Deus magicam evocationem prae-

(5) I. Reg. c. 24, v. 9, ubi de *Davide* dicitur: *Et egressus de spelunca clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi Rex. Et respexit Saul post se; et inclinans se David pronus in terram, adoravit.*

(6) I. Reg. c. 28, v. 6.

(7) *Ibid.* v. 15.

venerit, prophetam statuendo coram rege ante completum superstitiosum a pythonissa ritum; ferme, sicut volentem *Balaamum* maleficiis suis a daemone responsa extorquere, praevertit Deus, et per os illius benedixit *Israëli* (1); vel sicut *Ochozia* mittente qui consulerent *Beelzebub* idolum *Accaron*, praevenit Deus responsionem diaboli, misso *Elia* qui mortem regi praediceret (2). Atque haec de apparitione illa *Samuelis* sententia est communis pp. et interpretum, quos longa serie citat et sequitur *Tirinus* (3). Favent quoque eidem sententiae ss. *Augustinus* et *Thomas*, quorum prior (4) de memorata apparitione ita ait: « Non est absurdum credere, ex aliqua dispensatione divinae voluntatis permissum fuisse, ut non invitus nec dominante aut subiugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultae dispensationi Dei consentiret spiritus prophetae sancti se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. » Alter vero (5) inquit: « Nec obstat, quod arte daemoneum hoc (i. e. illa *Samuelis* apparitio dicitur factum, quia etsi daemones animam alicuius sancti evocare non possint, nec cogere ad aliquid agendum, potest tamen hoc fieri divina virtute, ut dum dae-

(1) Num. c. 25 et 24.

(2) IV. Reg. c. 1, v. 2, 3, 4 et 16.

(3) Comment. in I. Reg. c. 28, v. 15.

(4) L. 2 ad *Simplicianum*, q. 3.

(5) II, 2, q. 174 a. 5 ad 4.

(6) Teste *Cornel. a Lap.* (vide huius comment. in I. Reg. c. 25, v. 1) *Salianus* probabiliter (certi enim hac de re nihil constat) opinatur, *Samuelem* biennio ante *Saulem* obiisse, cui opinioni favent *Clemens Alexandr.*, *Ruffinus*, *Beda*, *Abulensis* et *Ioseph*, quos ipse citat.

(7) I. Reg. c. 28, v. 15.

(8) Ubi vulgata nostra in citato textu habet vocem *Deos*, textus hebraicus habet אלהים *Elohim*, quae vox in Scriptura plerumque Deum significat; aliquando autem aliquid eximium, quales sunt an-

mon consulitur, ipse Deus per suum nuntium veritatem enuntiet. Sicut per *Eliam* veritatem respondit nuntiis regis, qui mittebantur ad consulendum deum *Accaron*, ut habetur 4 Reg. 1. »

COROLLARIUM. Verba illa suscitati *Samuelis* ad *Saul* regem: *Quare inquietasti me ut suscitarer?* non sunt sic intelligenda, ac si per artem magicam violentia *Samueli* illata, aut is vi magica ex inferis evocatus sit; sed *Samuel* isthic loquitur more hebraeorum et aliorum populorum, qui omnes illos qui sunt vita functi, velut dormientes in silentio et umbra exhibent: vel potius ait, se inquietatum a *Saule*, qui commotus fuit et iratus indignitate modi quo *Saul* per magiam eum suscitare conabatur. Unde sensus horum verborum: *Quare inquietasti me ut suscitarer, merito assignatur iste: Cur fuisti non causa sed occasio, ut suscitarer, et quidem occasio tam indigno modo?*

OPPON. VI. Vel *Samuel* se stitit in corpore vel extra corpus: *Non primum*; quia corpus eius pridem defuncti (6) iam in putredinem et pulverem resolutum erat: *non secundum*; quia si extra corpus se stitit, quomodo pythonissa eum videre potuit? Dixit enim haec conterrita (7): *Deos vidi ascendentes*, id est, hominem quendam divinum (8),

geli, et iudices, et heroes; et licet haec vox sit numeri pluralis, aliquando tamen verbum sibi adsciscit singulare. Quare nihil hic dicit alienum a vocis huius sive proprietate, sive usu, qui in *Elohim* virum aliquem eximium agnoscit; et quidem paraphrasis chaldaica *Angelum* habet hoc modo: *Angelum Domini vidit qui ascendit e terra.* Quod vero vox *Elohim*, quamvis sit numeri pluralis, tamen denotare possit, et in Scriptura saepe denotet rem singularem, inde patet, quia, ut dixi, passim *Elohim* seu *Dii* pro uno *Deo* in Scripturis ponitur. Est vimirum mos hebraeorum pluralem numerum pro singulari ponere, ad designandam personae vel rei, de qua agitur, dignitatem. Sic